

Aptissumis verbis et congruentibus, quoniam naufragium dixerat, custodivit sequentiam; quod ipsum nobis in omnia ἀλληγορικᾶ servandum est.

§ 16. Vel, ut ego arbitror, exoratus vel, ut non nemo putabat, iratus. 5

Prudenter κατὰ διαπόρησιν non vult exerte conqueri de C. Caesare; et tamen querellam sapit ipsa dubitatio.

Fraternis flagitiis, sororiis stupris.

Et Appius Claudius maior natu infamis in eundem Clodium fuerat et soror Clodia, ut saepe iam diximus. 10

§ 17. Quid dicam? consules? Hocine ut ego nomine appellem?

... de Gabinio et Pisone, magis eos rei p. hostes quam consules iudicando, quoniam haec dignitas plus animo quam habitu censeatur. 15

§ 18. Alter unguentis afluens.

... Summa cum stomachi acerbitate proscindit mores Gabinii χλευαμῶ quodam, ut liniamentis omnibus impudicitiae denotetur.

Vexatores aetatulae suae. 20

... usus est teneriorem volens ostendere pueritiam, quo magis ad stupra vendibilior videretur.

Puteali et faeneratorum gregibus inflatus, a quibus compulsus olim, ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam in freto ad columnam adhaere- 25 sceret, in tribunatus portum perfugerat.